



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-564567-p0001-2

DFG



Q. D. B. V.

28

43

*De*

# AQVIS SUPRA- COELESTIBUS.

Ex permisso Amplissimæ

Facultatis Philosophicæ,

IN ILLUSTRI AD ALBIM ACA-  
DEMIA

DISPUTABUNT

M. AUGUSTINUS BALTHASAR,  
PRÆSES

&

LAURENTIUS Vogt / Thorunio-  
Prussus: Respondens

Ad d. 19. Martij horis pomerid. In Auditorio  
Minori.

---

VVITTE BERGAE

EXCUDEBAT JOHANNIS HAKEN, ANNO 1656.

45

B. A. Da



V. B. D. G.

# ANARCHY

PIPERITON

# Geographia. A. M. Lippmann. Vol.

卷之三

# THE GATEWAY

Digitized by Google

34 PTA 19

الله يحيى بن عبد الله

On the 12th of October 1803

卷之三

ANNUAL REPORT OF THE BOARD OF TRUSTEES.



IN NOMINE JESU!

Præloquium.



*Vam contemptare se fset homo, ni-  
si supra humana surgeret! sapientissi-  
mus exclamat Seneca. Etenim oculos  
in terram defixos, cum brutis commu-  
nes habet. Si tantum spectat quod ante  
pedes jacet, os sibi sublime datum, &  
erectos ad sidera vultus, ipse turpiter ignorat. Si extet-  
nas tantum intuetur formas, easque forsan*

Miratur, rerumque ignarus imagine gaudet,  
(Ut de Ænea contemplate res Romanas in clypeo scul-  
ptas loquitur Virgilius) adhuc vix aut ne vix quidem,  
â servâ brutcrum naturâ quicquam differt. Hoc u-  
nicum habet & divinitatis & libertatis suæ argumen-  
tum, quod divina, quod abscōdita, quod abstrusa, quod  
cœlestia & que ac terrestria eum delectant; nec enim il-  
lis omnibus interest ut alienis, sed ut suis. Tunc demū  
consummatum consequitur plenumque sortis huma-  
næ bonum, cum calcato quod ante pedes jacet, altum  
petit, & inter abditissimos rerum sinus se abscondit.  
Contemnit mens veri, mens pabuli sui avida, contem-  
nit domicilii sui angustias. *Quantum enim est, quod ab  
ultimis littoribus Hispaniæ usq; ad Indos jacet? paucissimo-  
rum dierum spatiū si navem Ventus implevit. Sursum  
ingentia spatia sunt, in quorum possessionem animus admit-  
titur.*

...r. Cum illa retigit, alitur, crescit, ac veluti Vinculis li-  
beratus in originem redit. Illic demum dicit quod diu qua-  
sivit: illic incipit Deum nosse, incipit nosse seipsum totius  
Mundi Dominum, incipit nosse regiminis sui latè patentes  
tractus, quibus præesse, & dominari à Deo jussus fuit. Et  
nostræ ad hoc fastigium, terrenis paulisper relictis ten-  
dunt Meditationes nec Cœlum tantum petere, sed &  
ultra cœlestia exspatiari, quosque Dominio nostro li-  
mites, quos terminos natura posuerit, quo Cœlum, quo  
Mundum tegmine clauerit, indagare gestiunt.

Ex alto Deus adsit!

## THESIS I.

*Dari supra Cœlum corpus aliquod, sola quidem  
Scriptura nos docet, Physico tamen exin-  
de de eotacendum non est.*

§. 1. Altum hic natura silet silentium. Nullum, cui vel ex-  
perientia, vel ratio innitatur, adest vestigium. Si Physicis æque  
mens, uti divitibus manus, oculata tantum est, nec quicquam cre-  
dit, quam quod videt, in Cœlo utique subsistendum erit. Nec  
enim Cœlo quicquam superius, aut majus sensus percipit, ratio  
colligit. Succurrit tamen aliud hic principium, cui fidem denegare  
impietas, obicem ponere, extrema Religio esset. Sacer ni-  
mirum hoc refert Scripturæ codex, posuisse Deum, adhuc supra  
Firmamentum immensam aquarum molem, quâ undique ambi-  
atur, & eingatur. Quod igitur natura nobis præclusit, id Scriptu-  
ra aperuit. Liber Librum explicat. Creator ipse de suis creaturis  
testatur & loquitur. Nostrum est illius dictamen promptè ad-  
mittere, avideque suscipere.

§. 2. Etenim si sensuum tantum, & rationis nostræ decem-  
peda Physicæ demetiri cupiamus territorium, præangusti nimis

augus



augustissimæ hujus scientiæ constituentur limites. Quam multæ  
namq; per secretum eunt nunquam humanis oculis orientia? Neque  
enim omnia Deus humanis oculus nota fecit. Quæ pars operis tanti  
nostris oculis committitur? Ipse qui ea tractat, qui condidit, qui torū  
hoc fundavit, deditq; circa se, majorq; est pars operis sui, ac melior effu-  
git oculos, cogitatione videndus est. Sic de Ingeniū humani angu-  
stiis, de intellectus cœcitate conqueritur Seneca. Hę scilicet  
omnium omni tempore sapientum fuere querelę, hinc illæ la-  
chrymæ illæ tenebræ communes cunctis mortalibus. Perpetuò  
ingeminandum tritum illud: Nos vix melius quicquam scire, præ-  
ter hoc quod nihil sciamus. Deserunt nos sensus iu plurimis, & ob-  
scurus maximè intellectus est, non in divinis tantum, sed æquè  
in naturalibus.

§. 3. Agnoscendum igitur gratā mente, quod imbecil-  
litati, quod cœcitati nostrę subsidium fertur. Excipiendum  
hilari fronte, quod in tanta caligine à lumine hoc gratioſissimo  
nobis manifestatur. Nec n. putandum aliena ista esse omnia, qvæ  
ē Scripturā in Philosophiam derivantur, confundi principia,  
confundi disciplinas, committi μετάβασις ἀλλο γένος, mi-  
sceri επεργένεα, forum quæri incompetens, judicem constitui  
extraneum, controversiarum normam assumi alienam, res fidei  
rationis subjici judicio, cum Scriptura Physico consulenda pro-  
ponitur. Imò maximè consuli & potest, & debet à Physico Chri-  
stiano sacer ille codex. Potest ob summam Scripturæ certitudi-  
nem, & Authoritatem, cum nullus ejusdem inveniatur apex  
cœlo terravè ignobilior, atq; infirmior, nullumq; detur testi-  
monium sacrum, vel mille rationibus Philosophicis postponē-  
dum. Debet, ob cognitionis nostræ angustiam; quia citrā hanc  
de multis rebus Physicis, ut de Mundi natalitiis, ætate, sene-  
cute, interitu, ejusdem conservatione, & gubernatione &c. ni-  
hil constat. Recolligamus tantum paulò altiori animo vete-  
rum Philosophorum sortem, & statim, quanti errores numero  
plures, turpitudine graviores, ex ignorantia Creationis proflu-  
xerint patebit. Adeò verum scilicet est illud Scaligeri; No-  
stra in Studio peregrinatio, sine superna luce, est misabilis quedam  
erratio.

A 3

§. 4. Pr

§. 4. Pro solvendis difficultatibus notetur. 1. Scripturam esse principium commune, imò cuilibet Disciplina certo modo proprium & domesticum. 2. Scripturam dici principium Theologiaz proprium non in quarto, sed secundo modo intellectū. 3. Alienum id vocari probandi principium, ubi Disciplina, ad quam spectat probanda conclusio, quoad Objectum suum nullam planè convenientiam alit cum alterā, unde Argumentum sumitur, ita ut objectum unius objecto alterius nec subordinetur, nec coordinetur. 4. Non novam in Physicam introduci normam, sed novum tantum usitatis illis duobus addi cognoscendi medium. Norma Physicæ est natura. Media cognoscendi hactenus duo tantum agnoverunt Philosophi, rationem & Experimentiam. Philosophus Christianus addit Scripturam. Unde tria jam sunt media (ut Excell. ait Sperl. in suis Exercit. part. spec. exerc. 2.) quibus obtinetur Veritas: Sensus, ratio & Scriptura. Ubi sensus deficit, ibi ratio succurrit, ubi ratio succubit, ibi Script. erigit. Solē terrā majorē esse nō invenit sensus, ratio tamē colligit. Remum sub aquā fractum esse putat visus, ratio non permittit. Solem moveri, terram stare, sensus quidem percipit, ratio səpiùs dubitat, Scriptura utriq; succurrit. Aquas supracœlestes, nec sensu, nec ratione novimus, patefactas verò in Scriptura non solum concedimus, sed & quid sint, & quales intelligimus. 5. Finem Scripturæ unum quidem esse, eumq; palmarium, ast secundarios plures. 6. Uti Objectum Scripturæ non unum est, sed multivarum, sic quælibet Disciplina quod suum est inde petit, atque tūm ratio in eodem non ut alieno, sed proprio magna alacritate se exercet. 7. Argumenta è Scriptura petita, non quidem vulgarem illam facere ἀπόδειξιν, majorem tamen & lōgè certiorem rebus suis conciliare fidem, & eminentem conclusionem gignere.

§. 5. Quibus præmissis nulli dubitamus etiam præsentem de aquis supracœlestibus materiam, à solā licet Scripturā patefactam, nostram facere, nec ullum vitiosum ē genere in genus transitum formidamus. Ad mundum, ad corpora, ad objectum Physicæ eadem pertinet, quo jure à territorio naturalis Scientiæ arceretur? Perpendemus igitur altius, quæ Scriptura hic nobis arcana



arcana revelavit. Parum scilicet curantes quid alii haec de se ex Cabala & secretiori Philosophia somnient, quidq; de extraordinariâ revelatione per spiritum S. Sapientibus secretioribus assistentem factâ crepent, ut facit Henricus Nollius in Phys. Hermet. l. 2. c. 2. Sunt nūge hæ, sunt somnia, sunt commenta, quæ merito è Physicæ territorio exulare jubentur.

## THES. II.

Testatur autem Scriptura existentiam corporis supracœlestis, seu aquarum supracœlestium, dictis evidentissimis, omni exceptione majoribus.

§. 6. Clasicus est locus ex Historiâ creationis petitus ex c. 1. Gen. v. 6. & 7. ubi sic Moses ait: *Dixit D E V S; Fiat firmamentum in medio aquarum, & dividat aquas ab aquis. & fecit D E V S firmamentum divisum aquas, quæ erant sub firmamento ab his, quæ erant super firmamentum.* Singula verba, singula ferè suppeditant Argumenta. Nos firmiora deducemus.

§. 7. Urget i. Cornel. à Lap. comment. in Gen. c. 1. in opere diei secundæ, vocem יְהוָה Esto, Fiat, quod non significet deputationem rei antea factæ, sed realem rei, quæ fieri juberet, productionem. Scilicet firmamentum primo die conditum (intelle.atis omnibus simul sphæris, ab extimo celo ad terram usq;) sequentibus diebus variè dispositum, & exornatum fuisse nonnulli assertunt, & conseq. per hoc secundæ diei opus, non nisi Dispositionem quandam aeris ad recipiendam aquam intelligi. Cui sententia aperte textus reclamat, cum cuilibet Diei suum peculiare יְהוָה Esto assignat, nec ab initio aliud, quam consulum illud Chaos creatum restatur. Majus robur voci יְהוָה addit altera in v. 7. vox initiali. וְיְהוָה Et fecit, nequaquam nudam dispositionem, sed novam productionem innuens.

§. 8. Urgemus. 2. Vocē יְהוָה Firmamētū Nō n. hic aut aerē intelligi solū, aut spheras cœlestes cū inferioribus simul, sed Cœlu Stellatū, vel ut aliis loqui placet, universum orbū cœlestiū Systema, in qui-



in quibus Stellæ fixæ, & erraticæ reluent, (si qui tales orbes sūt, ut prudenter adjicit D. Gerhard. L. d. Cr. §. 24.) recepta nostra-  
tium sententia est. De quâ videri poterit D. Gerhard. c. l. item in  
Disp. Isag. XI. Sect. 2 §. 1. 2. item in Comment. super Gen. c. 1. v. 6. 7. Wal-  
ther. in Spong. Mosai. in Gen. l. d. Gesner. in Gen. c. 1. quæst. 17. Confer.  
è Pontif. Corn. à Lap. l. c. Qui quidem firmamentum per quan-  
dām concomitantiam, & situs connexionem, aerem vicinum  
complecti, propriè tamen non significare asserit. Fundamen-  
tum nonnulli quærunt in Etymologiâ, quod Cœlum ex aquâ,  
tanquam re fluidâ & rarâ creatum, per expansionem distensio-  
nem, dilationem &c. consolidatum fuerit, & tunc quasi murus  
inter aquas superiores & inferiores interjectus, illas dispescue-  
rit & coercuerit. Firmior ratio exsurgit ex collatione vers. 14.  
Ubi in illud firmamentum, quod secundo die conditum fuit, lu-  
minaria positadicuntur: luminaria autem non in aere, sed in  
Cœlo reluent. Et quid si per Firmamentum totum à terrâ us-  
que ad extimam Sphærām expansum intelligamus, nulla tamen  
exinde sententiæ nostræ ruina metuenda esset.

§. 9. Urgemus 3. Vocem בָּהֵר In medio. Sive enim de  
exacta, sive populariter sic dicta medieitate loquatur id tamen  
innuit, non in firmamento, sed suprà aquas collocatas fuisse, in-  
ter quas, ne coeant iterum, conjungantur aut confundantur, to-  
tusq; inundetur & submergatur orbis, illud mediet, & interce-  
dat. Cui accedit 4. Vox וַיְהִי מִנְדִּיל Et erit dividens. Realem  
scil. hîc intelligi Divisionem, remotionem, separationem, ma-  
gnamque interjectam distantiam nemo dubitat. Maymonidis  
enim Distinctio formalis textui reclamat, & refutatur à Perer.  
Comment. in Gen. I. v. 6. 7. Ante enim factam illam separatio-  
nem, non tantum terram vacuam, & inanem, sed & abyssum  
vocat Moses, immensâ nim. aquarum mole circumdatam &  
pressam, unde emergere haud poterat, nisi per illam divisionē,  
quę si vel realis non fuisset, vel perpetua, adhuc talis abyssus ubi-  
quę conspiceretur.

§. 10. Urgemus 5. Divisionis terminos, qui exprimuntur  
his בֵּין מִים לְמִים Inter aquas & aquas. Emphaticè scil. inter  
aquas unas & alteras, ut observat Glass Grammat. S. l. 4. tract. I.  
ob-

observ. 6. not. 3. Unde equidem essentiali aquarum haud colligimus differentiam, fuisse enim ante separationem, & mansisse aquas tam superiores quam inferiores ὥμογενεῖς, unius essentiæ, facile concedimus, & infraprobandum suscipimus, localem tamen distantiam satis clare in verbis istis innui, urgemos.

§. 11. Urgemus 6. præpositiones istas מִתְחַדֵּשׁ & Sub  
Supra. Quasdam enim ex aquis illis separatis ultrà cœlum elevatas, quasdam in terrâ sub cœlo relictas exinde sat solidè colligitur. Urget quidem Pareus Phrasin Hebraicam, quod dicantur aquæ esse desuper expanso, non igitur fuisse erectas supra totum expansum, sed positas sursum, ut una cum expanso essent, Supra & Desuper. Sed contrarium evincit vera oppositio; dicitur enim etiam de reliquis aquis quod sint de subiecto expansum, i. e. infra. Ergo altera vox Desuper nihil aliud denotabit, quam Supra. Vide Buxtorff. Gram. Hebr. p. 524. qui ad Sermonis elegantiam hoc transfert.

§. 12. Urgent 7. nonnulli Vocem שָׁמֶן ati Corn. à Lap. l. c. quod Cælum dicatur quasi שָׁמֶן Ibi aquæ. Sed probabile tantum Argumentum hoc esse testatur Meissn. Philos. Sobr. part. I. S. 3. c. 4. q. 3. Imò vix probabile censemur, cum disputent adhuc inter se acriter Philologi, an hæc vera vocis illius origo sit, an alia substituenda; cum item adversarii contrarium potius inde evincere laborent, dici nim. Cœlum שָׁמֶן Ibi aquæ, non v. עַל מִזְבֵּחַ Suprà aquæ, quia scil. sunt ibi in expanso aere, non Suprà; cum deniq; aliâs notum sit, quo loco Argumenta, ab Etymologiis deducta, haberi debeant.

§. 13. Ex his omnibus jam talem neclimus Sillogismum:  
Quicunq; aquam antea confusam, in duas partes æg; verè existentes, perpetuò manentes, localiter distinctas divisi, & alteram partem supra illud firmamentum, quod secundo die conditum fuit, collocavit, ille ludq; mediū inter superiores & inferiores aquas fecit, ille aquas supracœlestes produxit. Atqui Deus Creator maximus, in prima Creatio-  
ne, aquam antea confusam &c. E. &c. Major est extra controver-  
siam. Minorem hactenus probavimus. Exceptiones vel Thesi-  
bus sequentibus, vel actui Disputationis reservamus.

§. 14. Accedunt dicta Parallelæ, ex Ps. 104. v. 2. 3. Ps. 148. v. 4.

B

Canti-

Canticum trium Virorum. Daniel c. 3. v. 60, ubi imprimis  
observamus 1. ordinem, quo aquæ hæ supra Cœlos Cœlorum eve-  
ctæ dicuntur. 2. distinctionem, quæ aquæ hæ non tantum ab in-  
ferioribus, sed etiam à nubibus, pluviis alijsque meteoris separa-  
tum introducuntur. Futilis hic est exceptio Peteri,(1) Quod qui-  
dem David Cœlos Cœlorum ad laudem Dei introducat, ast a-  
quas nudè tantum supra Cœlos esse dicat (2) Nullum in Canticum  
trium Virorum observari ordinem, sed supera inferis misceri.  
(3) Per aquas supercœlestes in genere omnes intelligi aquas, quæ  
postea in specie enarrantur. Futilis inquam est exceptio, quam  
nuda recensione refutamus. Voetum qui in Disp. selectis loc. de  
Creat. Argumenta ex his dictis petita responsum non mereri pu-  
tat, ad inspiciendum textum, quo nosablegat, iterum remitti-  
mus.

### THES. III.

Veram igitur aquam supra Cœlum positam Scri-  
ptura indicat, nec proinde, vel Metaphoricus,  
vel Metonymicus, vel aliis impropus  
sensus, eidem temerè affingendus est.

¶. 15. Omnium improniissima explicatio dictorum jam  
allegatorum est Origenis, cui figuratè ac mysticè aquas supracœle-  
stes interpretari placuit. Etenim per superiores illas, Angelos  
bonos, per inferiores Angelos malos, è cœlo in hinc turbulentū,  
& caliginosum aerem deturbatos exposuit. Non longè abhinc  
discedit Scal. Exerc. 361. referens Hierarchias à Cardano per Cœ-  
los distributas; Triplices inquit, sunt Platonicis abstractæ formæ.  
Subcœlestes, inter quas est anima sublunar. Secundæ sunt Cœlestes  
tot, quot Orbes. Tertiæ supercœlestes: quæ à nostris Theologis appella-  
latæ sunt Hierarchiae. Atque eæ sunt aquæ, quas ab aquis dissepserit De-  
us. In eandem sententiam Augustinum quoque per trahe-  
re conatur Perer. l. c. quod per aquas intellexerit mate-  
riam, per firmamentum Cœlum astriferum quod divideret in-  
ter materiam rerum invisibilium, atq; supercœlestum, & inter mate-  
riam

riam inferiorum atque sublunarium corporum: dici autem aquas illas invisibles esse supra Cœlum non tam locorum spatiis quam natura dignitate. Interim veram suam sententiam expressius alibi Augustinus dedit, quam postea citabimus.

§. 16. Altera sententia est quorundam Pontificiorum, qui per aquas supracœlestes, nonum Cœlum, alias Crystallinum, aquum, glaciale dictum intelligunt. Sic Conimb. l. 2. de Cœlo, c. 5. quest. 1. art. 5. recensentes ordinem & numerum Cœlorum nonum & decimum, de aquis supracœlestibus interpretantur. Verba referam: Non incongruè hi duo orbes aquarum nomine designari possunt, propterea, quod cum nulle in ijs stellæ fulgeant, sed admodum translucidi & perspicui sint, aquarum referunt similitudinem: cum quia perfrigendī vim habere traduntur. In eundem ferè modum philosophatur Bonaventura in 2. lib. sentent. dist. 14. art. 1. In aqua elementari, inquit, tres sunt proprietates, Perspicuitas, frigiditas, & gravitas: In perspicuitate nonum Cœlum formaliter convenit cum verâ & naturali aquâ, in gravitate nullo modo, in frigiditate partim convenit, partim minimè: formaliter quidem non convenit, quia non est actus frigidum, at verò Virtualiter & effectivè maximè convenit; habet enim itidem refrigerandi vim, ut aqua. Quapropter cum nonum Cœlum, duas habeat aquæ proprietates, non inepte aquarum nomine appellatur. Ita etiam statuunt, Thomas, Cajetanus, Durandus, &c.

§. 17. Proximè ad hos accedit Baranzanus diglad. 18. citatus à Voetio l. d. qui statuit aquas supracœlestes, nec esse nubes, nec cœlum aut partes ejus nec Veram aquam ejusdem speciei cum aquis inferioribus, sed subtiliorem aquæ partem, quæ in modu Crystalli congelata, versa est in quandam perspicacissimâ substantiam aquæ similem, in eum finem suprà Cœlum positam, ut universum ornaret, sanctorū oculos mirificè oblectaret (Crystallinus enim humor Empyrei luce circumdatus pulcherimas producere censetur imagines) & beatorum respirationi inserviret.

§. 18. Calvinus, Zanchius, Daneus, Polanus, Castanæus, quibus accedit Svarez Disp. 13. sect. II. n. 33. & alii, per aquas illas nubes, pluvias, aliaque meteora aquæ intelligunt, quam

Sententiam copiosè defendit Perer. l. sapius cit. it. Keckermannus  
System. Phys. lib. 7. Et ultimo. Tipl. l. 1. A psychol. c. 3. probl. 18.

Ol.

§. 19. Rationes eorum paucis referam. Pererius urget 1. Vocem עֵדָה denotare spatum aereum, quod inter terram & sidera interjacet in quo vapores ex terrâ & aquis potentia Solis elevati densantur & coguntur in nubes, ex quibus imbres generati, tam largè & copiosè ad irrigandam, & fœcundandam terram defluunt, tanta nonnunquam copiâ & impetu, ut illic videantur esse ingentes lacus & flumina. Et hoc est illud Aristot. ingenis inter Cœlum & terram flumen, jam sursum ascendens, jam deorsum descendens perpetua vicissitudine, ut habetur 1. Meteor. Voetius non tantum Cœlum à Voce עֵדָה excludit, sed ne totum quidem intelligi aërem asserit, synecdochicè itaq; per illā partem explicat, quæ est à terrâ usq; ad nubes. Urget 2. alia dicta, quæ parallela esse videntur, ubi pluviae & nubes dicuntur esse in Cœlo: Sic Deus dicitur prohibere pluvias de Cœlo, dare pluviam de Cœlo, continere eam in Cœlo, claudere Cœlum ne pluat, rufus aperire ut pluat, unde vocatur Cœlum pluviosum vel siccum. Vid. Malach. 3. 10. Jerem. 20. 13. Job. 26. 8. Ps. 147. 8. &c. 3.

Communiter urgent naturalem aquæ locum esse penes centrū, cum corpus sit grave, & suâ naturâ deorsum tendat, nec proinde suprà Cœlum, nisi vel violenter, vel per miraculum servari. 4. Urgent finis defectum; quod nec cognitus sit, nec excogitari ullus possit finis, cujus gratiâ Deus ibidem aquas posuerit, cum tamen natura & Deus nihil faciant frustrâ.

§. 20. Hæ aliorum sunt sententiae. Nos simplicissimæ litteræ textūs inherentes, Veras & naturales aquas suprà fastigium Cœli evectas & elatas statuimus. In ejus sententia Patrocinium, copiosus, & Argumentorum & Authoritatium numerus produci posset, nisi id anteā partim à nobis th. 2. partim ab aliis præstatum fuisset. Examinabimus tantum paulisper hac vice ultimam, quæ Calvinianorum in primis est, sententiam. Prima enim, qvæ ad Origenem defertur, jam olim à Basilio somnium anilisque fabula habita fuit. Nec non Secunda & tertia σεσαφισμένοις μύθοι à Voetio accensentur merito. Ultima quibusdam probabilior videtur, sed itidem & absurdâ & fundamento destituta, & Scripturæ contraria iure reputatur.

§. 21.



§. 21. Ad forum si revocatur Philosophicum, plura fal-  
sa, quam Verba refert. Fallum est, nubem, aut pluviam, aut xi-  
vem, aut alia meteora aquam esse. Hæc corpus est simplex, illa  
composita sunt, & ex aquis facta. Fallum est, aquam, quæ in nu-  
bibus, alijsq; continetur meteoris, non esse subcœlestem; Quid  
enim nisi variam atomorum σύνορια, & διάκριτα in Meteoris  
conspicimus, illæ atomi verò unde? Non aliunde sanè, quam  
ex his inferioribus in aerem delatæ. Absurdum est, non aquam  
tantum, sed & ignem, & terram supracœlestem hoc modo in-  
troducere, non enim aqueas tantum, sed & igneas, & terreas in  
aere atomos ad meteora concurrentes animadvertis. Fallum  
est meteora in prima creatione seorsim producta fuisse, ultrò e-  
nim statum naturæ seqvuntur. Non immediate, sed mediate,  
ex ordine constituto, per causas secundas Deus in meteororum  
productionem insuit. Absurdum est, terminum Creationis, af-  
fectionem facere seu Accidens, quale meteorum tantum est, im-  
pressio scilicet in atomos variè dispositas facta. Absurdum est to-  
ties repeti hoc secundæ diei opus, quoties nova exsurgit nube-  
cula, toties iterum destrui, quoties eadem in fumum abit. Ab-  
surdum est tale aliquod opus qvod inter augustissima Creationis  
δαιμονίου μάτη refertur, Creaturis deferre, quod quidem fieri  
necessum est, Solis enim & astrorum beneficio tanta sepius a-  
quarum moles ad aerem defertur.

§. 22. Ad judicium si referatur Scripturæ 1. Principium pe-  
tit; scil. (1) per vocem יְהוָה olim intelli aerem, & quidem in-  
fimam regionem, æq; enim pro fidereo Cœlo sumitur, ut anteà  
probatum. (2) Aqvas exinde triplicari, si quedam in terrâ, quedam  
in aere, quedam supra Cœlum ponantur; Priores enim duæ spe-  
cies malè distingvuntur, cum unam & eandem aquam in diver-  
sis locis exhibeant. (3) Vocem נֹתֶן non per suprà, sed desuper  
explicandam esse; Contrarium enim textus evincit 2 Ordinem  
Creationis invertit; Cœlum, non primo, sed secundo die con-  
ditum Moles testatur; De Creatione nubium, pluviæ &c. nil  
meminit; imò nec sex primis diebus nubibus Cœlum fuisse ob-  
ductum, sed aerem mansisse limpidissimum ex c. 2. discimus.  
Quid quod expressè seprimo die demùm nebulam & terrâ exiisse

eandemq; irrigasse v. 6. c. 2. legamus; Ubi igitur nebula, nubes,  
pluviaq; die secundo condita? Imo qvod majus, nullum planè  
opus secundę diei relinquitur.: Totum enim expansum primo  
die factum ab adversariis dicitur, jam verò & aqua eodem die  
producta legitur; quodnam igitur illud, quod ad secundum diē  
pomposis verbis Moses refert? Scilicet erit exhalatio quædam è  
terrā extracta, variisq; impressionibus exposita. Hoccine est te-  
merè ordinem adeò cautè à Mose observatum invertere, & con-  
fundere? 3. Inconvenienter ex dicti s. aliis colligit. Nemo no-  
strum negat Cælum sèpiùs pro aere sumi, Ergò forsitan etiam hoc  
in loco, quæ consequentia? Deinde multūm differunt, quæ di-  
cuntur fieri בְּשָׁמָן in Cœlo, it. de Cœlo, ex Cœlo, quā quæ  
posita sunt לְעֵמָה supra Cœlum. Sic uno impetu omnes instantię,  
ex parallelis dictis petitę corrunt. 4. Omnipotentiæ divinæ  
derogat. Quid enim stultum magis, quam divinæ potentiae à li-  
mitatâ nostrâ ratione limites statuere? Quid magis curiosum  
quām in operibus D-E I nostri glorioli τό πᾶς quærere, seu quo-  
modo? Mirari hæc magis oportet, quām rimari. Quid si alias  
ex te querat; Quid terram in æquilibrio, in medio contineat?  
Quid aquæ impetum sistat? Solo Dei verbo id fieri negare non  
poteris. Cogitetur igitur & hic Dei potentia, & non videbitur  
ἀδύτατον aquas suprà Cœlum collocari. 5. Omnis sapientiam Di-  
vinam in dubium vocat. De fine aquarum supra cælestium sol-  
licitus est temeritatis amans animus, nec de summo fine, quem  
omnia intendunt, cogitat: Specialem se ignorare finem regerit,  
nec inconvenientem à nostrâ ignorantia ad rei negationem cō-  
sequentiā animadvertis. Habent utiq; specialē suū finē supracæ-  
lestes aquæ, qui licet nobis absconditus sit, Deo tamen haud igno-  
tus erit, qui etiam ea, quæ nostros fugiunt & sensum & intelle-  
ctum, sapienter ordinare, regere, & in certum finem dirigere no-  
vit. Sed de his infra pluribus.

#### THES. IV.

Aqua supracœlestis est Corpus naturale simplex cælum  
undijs ambiens ex prima aquarum divisione  
pronatum.

§. 23. E-

§. 23. Evidet scilicet propterea Scriptura sensu, ultrò hęc aquarū supracœlestium definitio sese offert, quam etiam tradit Excell. Dr. Sperling. Institut: part. spec. c. 3. Abs conditam quidem planè & in hęc vitę cognitu difficultem esse harum aquarum naturam nō pauci censem. Lutherus ipse hic suam confitetur ignorantiam; Negari non potest, inquit, quin ut Mōses dicit, quae sint supra celos; Cujusmodi autem aquae sint liberè fateor me ignorare. Et paulo' ante dixerat divinus Vir: Ego potuis fatebor, me Mōsen in hoc loco nō intelligere, quam ut alia ineruditę probem. Augustinus quoque, quomodo & quales ibi aquae sint, incertum esse, liberè judicat. At tamen non omnino nihil etiam hac de re scriptura nobis revealasse videtur, quod adeo facile prætermittendum non est.

§. 24. Etenim cum Scriptura toties easdem aquarum nomine introducat, ex illā item aquarum colluvie & abyssō, quæ primo die condita erat, desumptas doceat, nec aliam novam earum, productionem, sed unius cōgregatę molis separationem innuat, nec sub novā specie, vel supracœlestes, vel subcœlestes ullibi proponat, nec diversa ea quoad essentiam corpora, sed maximas unius divisi corporis partes inferat, adeoque non nisi localem distationem, neutram specificam differentiam, separationem, nō immutationem, distinctionem, non destructionem, elevationem, non novarum qualitatum impressionem, satis expresse innuat, quid aliud exinde, quā unius ejusdēq; speciei. unīq; essentiæ aquā suprà Cælum, & sub Cælo contineri colligere licebit. Hęc vera nostrorum Theologorum mens est. Imò nisi textui Mōsico, qui tam en simplicem continet Historiam & rudi populo est propositus vim facere apertam velimus, aliud nihil, quam, aquas proprię dictas, primum congregatas, post sequestras, & suprà firmamentum vel Cælum ultimum verè locatas intelligere possumus. Notanter inquit D. Meisnerus l. suprà cit. Si jam aquae proprię dicta intelligendæ sunt, quid ulterius de earundem naturā ambigimus?

§. 25. Est igitur aqua supracœlestis *corpus naturale*, quod vel ex scopo Mōsis constat, cui non hic allegorias, & Metaphoras nescire, sed ordinem corporum productorum enarrare propositum est. Corpora quidem visibilia tantum à Mōse descripta clamant adversarii, sed principium petunt. Imò & Cælum & aerem Historię Creationis temere existunt cum & hęc sub visum non carent.



dant. Nec etiam per se invisibles sunt aquæ supracœlestes, sed propter summam distantiam & medium interjectum. Uno verbo, si aqua vera ibi est, utique & corpus naturale erit. Est porrò *corpus simplex*, utpote omnis mutationis expers. Materiam habet simplicem, cuius essentiam non ingreditur forma. Et propterea omnia mixtorum eximuntur numero, quæ sublunarem hanc sphæram transcendunt. In hoc iterum cum aquâ inferiori convenit, quæ non minus corpus simplex audit. Aquam intelligo in suâ essentiâ spectatam non prout in hoc mundo existit, sic enim eandem impurissimam esse & variis atomis permixtam omnes ferè testantur sensus. In tali autem impuritate aqua supercœlestis cum inferiori nec convenit, nec convenire potest, cum nullæ eò pertingant atomi. Est igitur, non tantum simplicissima, sed & purissima, limpidisima, & non immerito pars aquæ subtilior, & nobilior à Cornel. à Lap. estimata. Per Elementum aqua supercœlestis non definitur, cum ad mixtorum productio-nem aut constitutionem ordinata non sit. Nec tamen exinde diversæ ab aquâ inferiori judicatur naturæ. Manet natura, manet essentia eadem, finis ab ordinatione divina dependet. Aqua subcœlestis, alium locum, aliud officium, alium finem na-ða fuit, essentia immutata remansit. Hactenus de genere.

§. 26. Differentia partim à loco, partim ab origine petitur. Locum inter omnia mundana corpora nacta est supremum, cæ-lum & omnia sub cœlo contenta ambit, ipsiq; mundo quasi ultimus terminus & clausula existit. Originem primę aquarum divisioni debet, in quâ, altera pars superiorem, altera inferiorem accepit. Cornel. à Lap. divisionem illam sic institutā refert; Ecce hic disponit & format DEVIS suam abyssum aquarum: pars enim hujus aquæ, tanquam materiæ ad transmutationem aptissima (quaenam nec nimis densa est, nec nimis rara, unde facile in quodvis commutatur) conversa est & consolidata in cœlos & aerem; pars subtilior & nobilior supracœlos remansit: pars crassior subtus fir-mamentum in maria & flumina, varia divisa est. Hæc ille. Ubi e-āndem aquarum supercœlestium, Cœli & aeris facit originem, has tamen per transmutationem, illas per nudam divisionē exti-tisse afferit, nec proinde nostrę quicquam sententię derogat. Re-ctius

Etius Cælum non ex transmutatione, sed nova productione or-  
tum fuisse è textu colligitur.

§. 27. Ex hac duplii differentia colliguntur ea, quæ naturam  
a quarum supracælestium seqvuntur, & circumstant. Ex loco flu-  
it integræ moles, & Quantitas, figura rotunditas, capacitas. Ex i-  
dentitate essentiæ cum aquâ sublunari, sequitur crasities, gravi-  
tas, frigiditas, humiditas, incorruptibilitas, esse fluidam, facile  
mobilem &c. De quibus Th. seq.

## THES. V.

Affectiones a quarum supracælestium sunt, quæ partim  
rationem loci, partim ipsam essentiam insequuntur.

§. 28. Supremum aquis cælestibus assignavimus locum, hinc  
Quantitas maxima sponte lequitur. Maximum communiter  
in naturâ Cælum dicitur, quod omnia claudat. Unde Weinrichi-  
us demonstr. c. 21. p. 198. Cælo nil majus in naturâ, Atomo nil mi-  
nus, in ceteris similiter, ut natura fert. Habet nimis natura ter-  
minos suos Quantitatis non tantum in qualibet specie, quos ter-  
minos excedere non solet, sed & in genere non continuè, quocumque  
corpo magno majus, quoque parvo minus sistit, sed in uno  
quodam maximo, in uno item minimo subsistit, ne progredias-  
tur in infinitum. Hoc maximum non Cælum est, sed aquæ supra-  
cælestes, quæ sicuti loco, sicuti ambitu, sicuti circumferentia, sic  
& Quantitate Cælum longè superant. Egregiam igitur earum  
esse Quantitatem, stupendam molem, immensam ferè dixerim  
copiam inde facile patet. Firmamentum à terrâ temotum esse  
per decies quatermille semidiametros terræ, adeoque ejusdem di-  
ametrum in milliaribus continere 24080000, Tychoniana est  
hypothesis. Hinc ducento Diametrum in circumferentiam, aera  
firmamenti converget 18223744 000000000 milliarium.  
■ quanta queso erit area, quanta superficies seu concava, seu  
convexa, que illam numero ferè inexplicabilem aream ambit &  
claudit? Infinita tamen non est, sed terminis suis inclusa, nobis  
interim non determinata, & cognita, maximam eam esse novi-  
mus. Hæc jam præcipua est pars illius abyssi, cuius Moses me-  
minit, illius inpervestigabilis, imperscrutabilis aquarem copia,

C

qua



que totum premebat Chaos, quas ad tale fastigium elatas novimus. Fundum ejusdem & terminos novit is, qui omnia novit. Ridiculi ergo sunt quidam inter Judeos, qui triginta Vicibus plus aquarum esse supra firmamentum quam infra, affirmare non erubescunt. Magna sanè in asserendo audacia! Magna temeritas! magna absurditas! quis genius malus bonus ve hoc ipsis revelavit? & quis eorum seu Pegaso seu Mahometis fumento supra cælos vectus, iste vel vidit, vel mensus est? Sunt verba Walteri ex l.c. Solem ferè centies Quadrages terrâ majorem esse Mathematici suspicanrur. Quātitatem verò aquarum supracælestium, quæ & solem, & omnia astra, ipsum etiam Cælum ambiunt, globo terrestri minorē facere, quæ quofo puerilis insania, quæ absurditas est? Exsurgit autem minor, quia aqua subcælestis vel tricies sumta, vix in comparationem cum globo terrestri venit.

§. 29. Quantitatem comitatur figuræ rotunditas, & capacitas. Sphæricam figuram totus repræsentat Mundus, Terra globosa est, Sphæricè hanc ambit aer, hunc Cælum, hoc aquæ supracælestes. Inordinatum foret opus, indispositum, si in peculiari quodam loco extra Cœlum aquæ hæ suspensæ conservarentur, quod dicere absurdum esset. Objicit Pererius, labilem & fluxam aquarum naturam super extimam cœli faciem, quæ perfeciissimè rotunda & levis est consistere haud posse. Ad cujus resolutionem non quidem assumimus illam Basil. ex Hom. 3. in Hexam. responsionem: *Licet nempe concava cœli superficies sit rotunda, non tamen continuò esse consequens & necessarium, ut convexa Cœli superficies sit etiam rotunda, sicut videre est in fornicibus, & locis concameratis.* Sed vel cum Beda dicimus; *Non minus facile esse Deo tenere aquas in loco quodam globoso & rotundo, quam in plano.* Vel figuram hanc circularem, & concavam, & convexam aquæ nequaquam repugnare asserimus. Capacitas ex iis omnibus elicetur. Si namq; figura circularis aliàs habetur omnium capacissima, quis de illa circumferentia & ambitu, quo omnia etiā, aliàs pro capacissimi habitu, constringuntur, dubitabit?

§. 30. Reliquæ affectiones ex aquæ natura desumuntur. Si vesca illa aqua est, Ergo fluida erit, ergo mobilis, licet non actu fluens, defluens, refluens, licet non actu mota, aut in gyrum

cum



cum factio illo primo mobili circumducta. Non enim vel in glaciem, vel in Crystallum, vel in aliam solidam materiam cōversas, sed divisas tantum aquas legimus. Et quid alias de Cœlo illo Crystallino ut & Empyreo statuendum, jam inter nostre-tes evictum est. Nam dulce est somnium, & svavis insania. Cum nec ipsum Cœlum solidum quoddam corpus orbibus & came-ris distinctum sit, sed suo modo fluidum & mobile. Humidas esse aquas illas oportet, hoc enim proprium earum in quarto modo. Frigidas item, non virtualiter tantum, aut eminen-ter, uti Scholastici de suo Cœlo glaciali somniant, sed formaliter, & in perfectissimo quidem gradu. Crassities & gravitas ad-est omniaque per naturam debita, non per accessionem aliarū atomorum, aut impuritatem acquisita. Hinc non abs re aqua subcœlestis & gravior & crassior æsimatur, cum nullibi pura existat. Supracœlestis verò & levior, & subtilior dicitur, quia in suā essentiā est purissima. Et hoc modo accipienda, & explican-da illa D. Gerb. verba ex Disp. Isag 11 seEt 3.m. 8. ubi essentiae ratio-ne aquas superiores inferioribus homogeneas quidem judicat, at tamen, addit, levitate, subtilitate ac perspicuitate, adeoq; specie à sublunaribus distant.

S. 31. Incorruptibilitatem denique adjungimus ut affectio-nem omnibus corporibus simplicibus communem. Voetio aliás argumentum hoc palmarium audit, ad destruendas aquas supracœlestes; Cum enim videatur absurdum esse inter superi-ora corpora dari aliquod corruptibile, eadem ratione absurdum videri aquas supra Cœlum ponи. Aquam enim omnem esse cor-pus, imo actu corrumpi putat, quando adest agens ali-quod naturale. In Cœlo autem adesse tale aliquod agens, scil. ra-dios solares ad aquas usq; pertingentes, quibus maximè si aquæ ibi darentur, corrumpi necessum esset. Ad quam rationem ex-ceptiones nonnullas Becanus afferit; actu scil. aquas non corrū-pi vel propter Qualitatem Loci conservantem, vel propter sum-mam resistentiam, vel propter Qualitatem ipsis impressam (qua-lis est corporis glorijs) vel quia Deus denegat suum concursū; Quæ exceptiones omnes & frivolæ sunt, nec rem adeò exactè tollunt. Nos corruptionem & corruptibilitatem ab omnibus

C 2 ( simpli-



implicatio psanē remotam volumus. Nulla in his spectatur generatio, nulla mutatio, nulla compositio, quæ igitur metuenda erit corruptio? Ridiculum est, quod de radiis solaribus dicitur, Corruptionis eodem causam esse, quod enim ad fovenda, conservanda, generanda corpora alias refertur, id iam ad destruenda, corrumpenda naturā invitā trahi debet? & cur non idem radii terram nostram, aerem, cœlum, aliavè simplicia corpora, ad quæ pertingunt, corrumpunt?

§. 32. Ex dictis facile constat, quid de illis Nollii verbis censendum sit, quibus aquarum supracœlestiar Qualitates hac serie refert; statuimus ergo aquas supracœlestes esse substantias purissimas, subtilissimas, igneas, lucidissimas, plus quam perfectas, incorruptibles, perpetuo in se fixas, hoc est, permanentes, liquidas tamen & fluidas, inflammabiles, minimè combustibles, in usum hunc, ut in regione supremasint, atq; constituent Schamajim, seu Cælum tertium superè Empyreum dictum, quod in superficie intimâ aqueum est, extimè igneum, ignis flagrans, aqua ardens &c. Scilicet nil nisi contradictiones necit, vera fallis miscet, fabulas somniaque prodit.

## THES. VI.

Locus aquis supracœlestibus, nec omnino nullus, nec violentus, nec infinitis spatiis à Cœlo remotus, sed verus, naturalis, Cœlo proximus competit.

§. 33. Sunt quibus illa Aristotelis arridet Loci definitio, quæ dicitur *superficies corporis continentis immobilis*, primo, ex 4. Phys. c. 4 quibus proinde supremum in Mundo corpus absurdè in loco quodam poni videtur, superius enim cum non defur corpus, superior quoque dari non potest superficies, supremum illud ambiens & continens. Sed uti ex falsa illi disputant hypothesis, nongationi, sed authoritati multum tribuentes, ita facile refelluntur. Sunt aquæ supracœlestes in loco, qui non est superficies ambiens, sed spatiū [juxta Scaligerum, vacuum] ipsis æquale, ipsis commensurabile, ipsis concreatum, ab ipsis inseparabile. In hoc per-

persistunt, hoc implent, hoc circumscribuntur circum scrip: & e-  
arundem partes & dimensiones. Implicat, si corpus dixeris, nec  
locum ei locum assignaveris. Si enim quid est, non quam esse no po-  
rest, & si inquam est, ne est quidem. Cic. Tuscul. quest. l. i. Extra Ca-  
lum nec corpus esse nec locum, nec Vacuum, nec tempus afferit quidem  
Aristoteles l. i. de Ca. c. g. tex. 97. 98. 99. 100. sed afferit Ethnicus  
cui error hic ex ignorantia Creationis profluit. C. nimbr. in  
hunc locum Arist. statuunt quidem nullum extra Calum dari corpus,  
esse etamen ibidem spatium & caputinem ad recipienda corpora. Sed  
quid hoc est, spatium ponere locale sine locato, sine corpo-  
re?

§. 34. Locus cum imprimis duplex sit, naturalis, & violentus,  
non abs te queritur, quisnam ille aquarum supra caelum locus  
sit dicendus? Violentum eum omnes proclaimant ii qui aquas  
has destructas cupiunt. De elevatione aquarum ad istum locum  
imprimis disputat Pererius contra August. qui putabat adeo ab-  
sonum non esse, aquam etiam naturaliter evahi supra Coelum;  
aqua enim tenuata in vapores ad superiores aeris partes tollitur,  
si autem magis magisque tenuaretur, celsiora loca petere posset,  
& juxta illos Physiologos, quibus omne in infinitum rarefcere, &  
dividi posse videtur, aqua semper levior fieret, & ad quamvis lo-  
corum sublimitatem sustolleretur. His Pererius obiicit densi-  
tatem Cæli nullum transitum permittentem, regionem ignis aeris  
superfusam aquæ resistentem, & denique aquæ ultra suam natu-  
ram attenuata mutationem jam in aerem, jam in ignem tran-  
seuntem. Quæ exceptiones omnes sunt & ridiculae & falsissime  
jam dudum à Physicis explosæ. Reliquas quidem exceptiones,  
quas de termino cuiusvis corporis naturali, & attenuati-  
oni, & ascensioni constituto subjicit, non nihil evincere  
concedo, id verò unicum urgeo totam illam in præsentis mate-  
ria questionem esse otiosam, alienam, & frivolam. Non enim  
queritur, an hodiè ordine rerum constituto, aqua ultra suum ter-  
minum elevari possit? an sponte sua, & naturaliter suprà coelum  
in primâ creatione ascenderit? an per aerem, per ignem, per  
Coelum transierit? an omnis aqua idem præstare possit? hæc o-

mnia sunt aliena, & extranea. De ordine terum constituendo, de elevatione supernaturali, & miraculosa sermo est. Aquam hanc inferiorem ad cœlum usq; deferri non posse, facile largimur; Certus enim ei terminus, certus locus à Deo constitutus est, quem transgredi nequit.

§. 35. De Loco verò ipso mirum in modum sese macerant. Naturalem omnis aquæ locum esse infrà aerem Pererius probat exinde, quia nunquam aqua in aere quiescere cōspicitur, qvæque in sublimi è nubibus generantur, statim suopte nutu & pōdere deorsum præcipitantur. Videtur igitur id Sapientiæ divinitat, & ordini naturali repugnare, tantam aquarum molem contra earum propensionem atque impetum positam & à Deo tot annorum millibus violenter retentam fuisse. Keckermannus simile adjicit; Sicuti tectum non contingimus lapidibus quadratis, sed levioribus, quadratis verò ponimus proximè juxta fundamentum; Ita aqua respectu aeris, non aerem integre debebat, sed propè terram sibi cognatam magis subsidere. Idem est, quod alias huic argumento includunt: Omne grave descendit. Aqva est gravis E.

§. 36. Nos has ratiunculas i. Instantiis eludimus. Eadem ratione contramubes, pluvias, aliaque meteora concludi potest, qvod sint in loco Violento, à centro remota & sursum evecta; immò firmius hoc concluditur, cum nubibus ruptis aqua juxta impetum naturalem terram petat. Hinc certo certius elicuntur, illas aquas supracœlestes, quas sibi singunt in aere adversarii, non esse in loco naturali, sed violento, cum tamen Deus in prima Creatione nec violentum locum ulli Creaturæ assignaverit, nec in eodem successu temporis conservaverit, ex propriâ eorum cōfessione. Aqua & terra unum constituunt globum, utraq; convexam aream attingit. Aquam autem terrâ leviorē esse novimus, & tamen nec super eandem eminere, nec supremi videntur. Ex illorum autem fundamento, sicuti Aqua levior est, aliud quoq; & superiorem occupare locum, sicuti terra gravissima solum centro proxima esse debebat. Et sanè hoc faciunt illa Scaligeri verba Exercit. 9. *Nature opus est hic terra situs atq; collocatio extra aquas.* Vicit enim τὸ ἐν τῷ Γέατιον Εἴραστον

Vimo



Vim necessitatis quā terram universam complecti debebat aqua. Ignem corpus esse levissimum constat, supremum igitur locum merebatur, sed infimum ferè tenet. Hiccine illi violentus est? ignem enim sub concavo lunę figmentum esse, accuratores docent. Et si daretur, cur non supra Cœlum scandit? si dixeris vel hunc ei terminum esse, vel Cœlum ei transitum denegare, idem ex me de aquis supracæstibus quærens responsū reportabis, Ita sanè juxta levitatem, & gravitatem corpora mundana constituta non sunt. Convenienter hoc simili quodam explicat August: à dispositione elementorum in corpore humano factâ pectito, ubi phlegmatis, quod vicem aquarum tenet, sedes est in cerebro; *Hoc si nesciremus, inquit, & in Scripturâ similiter esset, quod Deus humorem frigidum, fluidum, ac gravem in superiore corporis humani parte posuerit, isti scrutinatores Elementorum nequaquam crederent.*

§. 37. 2. Pro difficultatibus solvendis notetur (1) Principium peti, si omnium aquarum locus naturalis dicatur esse sub Cœlo. (2) Ordinem Creationis invertiri, si naturam talem rebus inditam dicamus, quam forsan loci ratio poscebat, locus enim naturam sequitur, non natura locum. (3) Nequaquam DEUM astrictum fuisse pro ratione qualitatum inditarum, utpote levitatis & gravitatis, corpora disponere, sed pro liberrimâ suâ Voluntate & sapientia hæc omnia præsttit. Voluntas n. ejus est mensura rerū, Sermo ejus est finis operis. (4) Incōveniēter planè ex descēsu aquarū è nubib⁹ per aerē colligi ad descensū supracœlestiū. Harum enim locus naturalis est supra Cœlum, illarum Violentus in ære. (5) Naturalem hinc cujusq; rei locum esse quem in Creatione à D E O gloriose accepit. (6) Absurdum non esse, si Verbo Dei omnipotenti has aquas suprà Cœlum positas, eodem verbo per tot annorum millia conservatas fuisse dicamus; hoc enim in primis ut copiosissimam divinæ laudis materiam tories Scriptura proponit. (7) Omne grave descendere, si scil. sit in loco Violento, nec obstaculum quoddam sit interjectum. At aquæ supracœlestes & locum habent naturalem, & impediunt maximè perspatium Cæli interjectum, cuius præcipium officium

hæc lumen scriptura prædicat id esse'; Separare aquas ab aquis.

§.38. Et verum, & naturalem locum aquarum supracælestium evicimus. Restat ut tribus verbis crassum illud. Judæorum, attingamus commentum, quo ex Vocabula בְּהֵן exactam aliquam concludunt medietatem quæ Cælum inter superiores & inferiores aquas ita constitutum fuerit, ut tanta æquæ sit distantia supracælestium a firmamento, quanta est cœlestium ad firmamentum. Somnium hoc est & commentum Rabbinicum, & partim fundamento caret, quia בְּהֵן os èr πλάτει quodvis interjectum spatiū sapientus denotat; partim absurdō laborat, sequeretur enim vel aliud inter Cælum & aquas mediare corpus, quod Scriptura negat, vel intercedere vacuum, à quo sana abhorret Philosophia.

## THES. VII.

Finem aquarum supracælestium generalem è Scriptura cognitum habemus, Specialem ignoramus.

§.39. Tot hinc de fine aquarum supracælestium invenire sicut sensus, quot adsunt capita. Sunt quibus placet, eo fine aquas ibidem positas, ne Cælum conglaciatum quasi & consolidatum ex aquis calore Solis, aliorumve astrorum iterum resolvatur & liquefiat. Basilius temperandis incendiis ex fervore axis ortis, inservire putat. Beda itidem ad temperandum calorem, è motu & Virtute siderum ortum, eas facere autumat. Alii ut Solis radios reverberent, ne in infinitum abeant, vel ut eosdem ad terram deprimant. Justinus putat comprimi iisdem firmamentum, ne ad Empyreum tendat. Damascenus iisdem Cæli dorsum premi & urgeri autumat, ne crebro violentoq; Ventorum impulsu concussum huc illuc agiterur. Cornel. à Lap. Voivitatem Sanctorum in aquis illis querit, cum sint omnis formæ, decoris, coloris & ornatus, capacissime; in cuius rei gratiam allegat Apoc. c. 7. v. 17. c. 22. v. 1. In primis tamen easdem eò elevatas censem, ut matrix hæc cælorum Creationis index exstaret, quam

quam suprà se cœli semper intuerentur. Oleaster ibi à tempore  
Creationis reservatas putat, ut in diluvio per Cataractas Cœli im-  
missæ terram obruerent. Hę & plures aliaæ opiniones partim fun-  
damento carent, partim fallâ hypothesis gaudent, partim somnia  
referunt, aliisque modis peccant, nec immoritò suis Authoribus  
remittuntur.


¶. 40 Duplicem nos è scriptura finem novimus. Faciunt  
enim aquæ hæ ad ornatum & complementum Universi, nec non  
copiosam laudis divinæ materiam suppeditant. Specialis finis  
nos latet. Quapropter Scripturâ hîc tacente, & nos tacemus. Id  
unum novimus, frustrâ easdem productas haud fuisse. Nil in na-  
turâ otiosum, nil frustraneum, nulla dies per otium, nulla nox,  
nulla hora transit. In constanti sunt labore superiora pariter ac  
inferiora. Conspirat mundus superior cum inferiore, ille dat, hic  
recipit. Solas aquas Iupracælestes otiani quis putet? Ut cæli in-  
dul tu & auxilio conservatur tellus, & quicquid in humili hoc de-  
git habitaculo, sic non minus ope aquarum supracælestium. Spe-  
cialiora urgenci ex Mendoza Dup. 3. l. 3. p. 520. respondemus:  
Roga, cui fini aquæ illæ inserviant? sed quid me rogas: Roga eum, qui  
eas illuc voluit esse: qui si voluisset, anne honesto & optimo fine carerent?  
Evidem consiliarius ejus non fui, neque novi sensum Domini. Multæ  
enim sunt abscondita majora istis, paucissima ex operibus Domini &  
nobis cognoscuntur, nam omnia fecit Dominus, & piis indicat  
sapientiam. Eccles. 43. V. 35.

## ET TANTUM.



D

Hæc



**H**Æc via sublimem dicit Virtutis ad ar-  
cem,  
Moribus ac studiis se decorare bo-  
nis.

Hoc, *Vogti*, pergens pecurrere calle, merebis  
Nomen honoratos inter habere viros.

PRÆSES.

**J**am solitum resono signum datur ære, Meusque  
*VOGTIVS* ad cathedræ limina vadit. (Echo) adit.  
Materiem ast ostendendi ingenium petet unde *IS?*  
(Echo) Undis. Anne domum laude meabit? (Echo)  
abit.

Res *Aqua mortali num futilis* (Echo) utilis ulli?  
Quæ verò inde feret præmia grata? (Echo) rata.  
Num *viridis cinget laurus caput ILE IVS?* (Echo) EJUS.  
*Stirpis eritq; sua spes generosa?* (Echo) Rosa.

Hoc, quicquid est Poëmatis,  
Præstantissimo, Doctissimog; D N. Resp.  
Amico, Civi, nec non Commensalib;  
Suo longè jucundissimo, prosperrimos  
studiorum successus, & felicissima  
omnia apprecatus

L. M. Q. fecit  
Jacobus Feldnerus, Thoruniô-  
Prussus.

Sic

23H

**S**ic age, sic, VOGTI, svavissime pergitō Amice  
Solerter studiis invigilare bonis.  
Melliferē instar apis dulces Tibi congere succos  
Theiologūm è scriptis, Philosophūmque libris.  
Ingenij sed quo rapidus me protrahit æstus?  
Te faciendorum cur monuisse velim?  
Sponte Tuos operā volvis vehementer libellos,  
Seu nox est, roseō seu micet axe dies.  
Nunc studij specimen vis insuper edere doctum,  
Qvod benè quò vertat, cœlica fata duint.

*David Holstius, Elbingā-*

*Prussus.*

**O**intus & in cute multis  
Mibi cognite Civis ab annis,  
VOGTL dilecte, meique  
Pars altera pectoris: & me  
Populares inter amandos,  
A omni tempore amatos,  
Hoc certe tempore fas est  
Tibi quævis fausta precari,  
Quo Nostri docta Lycéi  
Subsellia scandere gestis.  
Paucis q[uod] vocirca Anapæstis  
Precor, hæc ut cuncta, fideli  
Alij quæ mente precati

*Tibi*



Tibi sunt, velit eſe supremus  
Rata firmaq; Rector olympi.

Michael Cleophas, Thoruniō-  
Prussus.

**N**on ita res levis est Physicos dissolvere nodos,  
Propositasque theses firmâ ratione probare.  
Est opus ingenii celsi, multiq;e laboris.  
Sed qvò plus studii præsentia cœpta requirunt,  
Tantò plura feres meritè præconia laudis,  
Fautoresq;e Tuis magè, Patronosque colendos,  
Propitios reddes tali ratione Camoenis.  
Cujus mortales nunquam cortina ſefellit,  
Id Tibi promittit Phœbus ſpondetq;e futurum.

Johannes Herden, Thoruniō-  
Prussus.



94 A B 78



f

sb.

107

Okt 1999





Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-564567-p0032-4

DFG

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue



Q. D. B. V.

*De*

28

43

# AQVIS SUPRA- COELESTIBUS.

Ex permisso Amplissimæ

Facultatis Philosophicæ,

IN ILLUSTRI AD ALBIM ACA-  
DEMIA

DISPUTABUNT

M. AUGUSTINUS BALTHASAR,  
PRÆSES

&

LAURENTIUS Vogt / Thorunio.  
Prussus: Respondens

Ad d. 19. Martij horis pomerid. In Auditorio  
Minori.

VVITTEBERGAE

EXCUDEBAT JOHANNIS HAKEN, Anno 1656.

45

B. A. Da